

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2921

**Auteur(s) :** Guillaume de Magneville-l'Esgarée [chevalier]

**Bénéficiaire(s) :** Robert Bertran [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1240, 1 avril

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume de Magneville-l'Esgarée, chevalier, vend à son seigneur Robert Bertran, les moulins de Magneville, moyennant la somme de 500 livres que ledit Robert avait payée au roi pour ledit Guillaume.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bréard Charles, *Cartulaires de Saint-Ymer en Auge et Bricquebec, publiés avec notices*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard, 1908, Bricquebec, n° 21, p. 209-210.

Texte établi d'après a

Erga Guillelmum de Magnavilla, militem.

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod ego Guillelmus de Magnavilla-l'Esgarée, miles, vendidi Roberto Bertran, domino meo, mea molendina de Magnavilla cum mouta et cum omnibus pertinentiis eorumdem molendinorum pro quinque centum libris quod dictus Robertus pagavit pro me domino regi Francie. Et sciendum est quod ego Guillelmus predictus debeo perficere valorem molendinorum usque ad valorem quinquaginta librarum turonensium annui redditus de dictis omnibus expensis et misis dictorum molendinorum, videlicet quarterio frumenti apretiato pro sex solidis turonensium, et, si dicta molendina non sufficerent ad quinquaginta libras redditus perficiendas, ego Guillelmus de Magnavilla teneor perficere quinquaginta libras redditus in meis propinquieribus dominicis juxta dicta molendina erga stannum vel alibi, nisi ibidem sufficerent dominica. Et si dicta molendina fuerunt apretiata ad majorem valorem ultra quinquaginta libras turonensium redditus, dictus Robertus tenetur michi persolvere valorem superfluitatis secundum forum pernotatum, videlicet pro decem libris annui redditus centum libras et debent apretiari molendina per viros idoneos et fide dignos de consensu dictorum Guillelmi et Roberti electos. Sciendum est quod prefatus Robertus poterit facere justitiam suam super moutarios dictorum molendinorum si deficerent de mouta et jure dictorum molendinorum et sepedictus Robertus habebit emendam. Et sciendum quod dictus Robertus habebit frumentum de meis hominibus quod debent pro exclusis dictorum molendinorum faciendis. Et ego predictus Guillelmus et heredes mei omnia illa faciemus que pertinent Roberto Bertran, domino capitali de feodo de Magnavilla super residuum feodi. Tenenda et habenda hec omnia predicta predicto Roberto et heredibus suis jure hereditario absque aliqua mei vel alicujus heredum meorum in dictis molendinis vel eorumdem pertinentiis de cetero reclamatione. Hoc autem ego et heredes mei tenemur garantizare predicto Roberto et heredibus suis contra omnes gentes. Et nisi garantizare possemus, statim congruum et equipollens excambium inpropria hereditate nostra facere nos tenemur. Et ut ad hoc idem heredes mei si necesse fuerit teneantur, presens scriptum sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno Domini, milesimo CC° XXX° nono, die dominica post octavam Annuntiationis Beate Marie.

